

gumentum , nullum exemplum habemus.  
Ergo &c.

4. *Argumenta* prorsus nulla occurrunt,  
quæ suadeant substantiam aliquam in ni-  
hilum interire , licet à parte Creaturæ  
existendi contingentia, mutabilitas & de-  
pendentia , à parte Creatoris summa po-  
tentia & indifferentiæ libertas occurrant,  
quibus annihilationis possibilitas adstrui-  
tur, de qua nos non agimus hoc loco, cùm  
factum ipsum tantummodo negemus.

5. Nec *exempla* suppetunt ulla : dum  
enim ignis , candela , flamma , extingui-  
tur , particulæ priùs conjunctæ in aliqua  
copia , ac proinde sensibiles , à se invicem  
separantur ac dividuntur , tumque mirum  
non est , quod subtilitate sua singulæ sen-  
sus nostros afficere nequeant.

6. Sic aqua à calore non redigitur in  
nihilum , sed in tenues Vaporum particu-  
las , quæ per aërem dissipantur , & sæpe  
succedente frigore iterum congregantur  
in pluviam , nivem , grandinem &c.

7. Nec aliud ullum in toto Naturæ li-  
bro exemplum legitur annihilatæ substanciæ , imò nec in libro Scripturæ legitur ,  
cùm ne Diabolos quidem in nihilum à

Deo